

8773.

188

1628

24

DISPUTATIO JURIDICA,
De
TRADITIONE,

Quam,

JESU NOSTRO FELICITER MODERANTE,

*Consensu Ampliss. Jctorum Ordinis in celeberrima
Universitate VVittebergensi,*

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

Dn. GODOFREDO Reutter

J. U. D., Professore Publico & Curiã Provin-
cialis Adfessore, Præceptore & Promotore meo
omni observantiæ studio ætatem
colendo,

Examini Publico submitto

JOANNES NEANDER

Francofurto-Marchicus,

In Auditorio Jctorum Kal. Martii.



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH
ANNO M DC XXVIII.

REUTTER



2

TRADITIONE

D. GODOFRIDO

IOANNES

SESSANTIA

ANNO MDCXXIII





CHRISTO DUCE
Præloquium.

Vivit is qui se utitur. Qui verò latitant
& torpent sic in domo sunt, quasi in conditivo. Horum,
sicut in limine ipso non in marmori inscribas, mortem
suam antecesserunt. Ita immortale Romane sapientie
decus & verum exemplar Seneca epistola 60: nec minus scite, quam
verè. Ut enim ferrum, ex Plutarchi sententiâ, si non utaris obduci-
tur rubigine, sic animus humanus, nisi negotiis tractandis exerceas.
Et vita homini data est, non, ut per luxum & negligentiam defluat,
sed ut optimarum rerum indagatiõni & veritatis investigatiõni im-
pendatur. Nam quemadmodum corpus humanum ad sui conserva-
tionem alimenta requirit: ita animus nihil præter veritatis, qua sive
ejus pabulum à Lactantio i. divin. Institution. i. vocatur, cogni-
tionem appetit. Verum enim verò, quod de impuris amoribus scripto
prodidit, artis amatorie promus condus Ovidius. Quantò magis
tegitur tantò magis æstuat ignis. Id ipsum de veritate verissimè
pronunciari potest, quod scilicet nulla tergiversatione celari possit, sed
quo magis oppugnatur & opprimitur, hoc magis in lucem prodeat &
splendeat. Hinc Disputatio, qua rei oppugnandæ & propugnandæ
modum tradit optimâ veritatis inveniendæ ratio indigitatur. l. fin. §.
26. ff. de munerib. & honor. Sicut enim ex lapidum collisione ignis,
ita ex Disputatione elicitur veritas, attestante id subtilitatum magistro
Scalig. Exerc. 148. l. 4. Cum autem ex Aristippi placito earum
rerum studium à juventute sit colendum, qua viris postea factis maxi-
mè usui sint futurae, nec, ut Plinii secundi lib. 8. ep. 14. verbis utar,
quisquam sit, qui velit discere, quod in usu non sit habiturus; ideo cum
Senecâ epist. 48. extrema dementiæ esse statuo, supervacanea disce-
re in tantâ temporis egestate. Quâ de causâ, dum de materiâ aliquâ
examini publico exercitii Academici gratiâ submittenda cogitavi, præ
reliquis præsentem hanc Traditionis doctrinam selegi, quam tenui Mi-
nervâ

nervâ rudig, penicillo adumbrare & longè lateq; dispersam, quantum per ingenii vires licuit, pagellis hisce concludere volui. Est enim plane necessaria. Heig. ad §. 40. n. 18. J. de rerum divis. utpote qua præter cæteros Domini acquirendi modos maximè insignis & frequens. Giph. ad d. §. 40. celeberrimus, Rittershusius ibid. & potissimus est, adeò, ut cum jure Gentium Dominium transferri dicitur, id dicatur fieri traditione; cæteris nimirum modis per Synecdochen sub hoc occultatis, sicut jure civili usucapione, l. 20. C. de pact. Vultej. ad d. §. 40. n. 1. Hinc J. C. Traditionis nomine omnes acquisitionum species complectuntur, non secus ac stipulationis verbo obligationes omnes, haut raro enim per stipulationem accipere & promittendo obligari conjungunt, cum omnem obligationem & Domini acquisitionem significare volunt, ut in l. 12. §. 3. ff. de usufructu. l. 27. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. l. 12. §. 1. ff. d. captiv. l. 14. & seq. ff. de castr. pecul. l. 14. ff. de usu & habit. l. 25. §. 2. ff. de liberal. cau. l. 33. & l. 39. ff. d. A. R. D. Quemadmodum econtrâ verbis nec tradendo accipere, nec promittendo obligari omnem alienationem & obligationem excludunt, l. 6. ff. de V. O. Idq; opinor eam ob causam, quod nihil tam conveniens, sit æquitati naturali, quam voluntatem Domini, rem suam in alium transferre volentis, ratam haberi, uti post J. C. Gajum in l. 9. ff. d. A. R. D. loquitur Imperator Justinianus d. §. 40. J. d. R. D. His ante pagmenti quasi loco præmissis viam hanc minus tritam & salebrosam ingredior & ad rem ipsam me accingo. Tu, qui te ipsum & tecum omnia bona nobis tradidisti **JESU CHRISTE** dirige: anatus & audacibus annue cæptis.

THESIS I.

CUm autem definitio amussis sit proprietatis & totius exactæ & methodicæ disputationis fundamentum quoddam Everhard. loc. à defn. in fin. Idcirco rectè mihi judicasse videtur Cicero, qui i. officior. scribit, omnem disputationem à definitione proficisci debere, ut intelligatur, quid sit, de quo disputatur.

II. Est ergò traditio titulus naturalis acquisitionis, quâ res à Domino ex justâ causâ alteri traditur ad Dominium transferendum §. 40. J. de R. D. l. 9. §. 3. ff. d. Acq. R. D. l. 20. C. de pact. l. 12. C. de R. V. l. 7. §. fin. ff. pro Emptore. Dn. Forst. in tr. d. domin. cap. 9. n. 135.

III. De-

III. Definitio hæc resolvitur in definitum & definitio-
nem ipsam. Definitum est traditio, cujus considerata origi-
natio & varia significatio. Originationem, quod attinet, Tra-
ditio deducitur à tradendo. Tradere autem dicitur quasi trans-
lare, à præpositione trans (quæ idem quod ultrà significat, &
& in compositione sæpius omittitur. exempl. gr. traduco, tra-
jicio) & à verbo dare *Petr. Greg. 20. Synagm 10. n. 1.* Estq; nihil
aliud, quàm rem alteri cedere, seu facere, ut alter possideat rem
& habeat *Don. 4. comm. 17. in fin.*

IV. Significationes vocabuli Traditionis occurrunt variæ;
ego illarum consideratione aliis relictâ, duplicem saltem ejus
acceptationem, quæ in jure potissimum occurrit, apponam. Su-
mitur autem aliquando Tradere, pro porrigere, estque actus
per se nudus, nec sufficiens ad domini translationem, sed tan-
tum ad corpora danda. *Petr. Greg. d. l. n. 2.* Unde, qui obligatur
ad tradendum, non tenetur dominium transferre, sed tantum
res præstare. *l. 23. ff. d. V. O.* & hoc sensu traditio de facto intel-
ligitur non de jure: atq; ita tradunt deponens, commodans:
Sic tradimus ministris nostris pecuniam, ut nobis aliquid e-
mant. *§. sic itaq; 7. de action.* Aliquando autem idem significat,
quod dare seu dominium transferre. *l. 4. ff. de usur.*

V. An verò Traditione nuda tantum possessio, an verò et-
iam dominium acquiratur & transferatur, ardua est quæstio?
Mihi affirmativa arridet per *l. 20. C. de pact.* Facit etiam, quod
traditio inter modos acquirendi domini non possessionis ab
Imp. & Jctis referatur. *d. §. 40. 7. de R. D. l. 9. ff. d. A. R. D. Dn. For-
ster. d. l. n. 130.* ubi ad contraria respondet.

VI. Definitio ipsa constat genere & differentiâ. Genus est
titulus, h. e. causa domini acquirendi *l. 24. C. de R. V.* ita dictus,
quod tueatur possessorem *l. 9. C. de præscript. long. tempor.* vel,
quod ex eo intueri liceat, an quis justò possideat, nec ne. *Don. §.
com. 14. ibi Hillig. lit. D.* Et quidè naturalis, non tam quod traditio
aliquam rationem & causam ex naturâ trahat, (aliàs enim &
modi acquirendi dominium jnriscivilis essent tituli natura-
les) sed quod cum societate humanâ ita incept, ut vix sine ea

videatur hominum commercium consistere posse. *l. 5. ff. de 7. §*
7. Gædd. ad l. 23. n. 5. ff. d. V. S.

VI. Differentia consistit in illis verbis, quo res à domino ex
justâ causâ alteri traditur &c. quibus distinguitur à reliquis
titulis naturalibus, veluti occupatione, quæ est apprehensio
rei, quæ nullius est. §. 12. *7. d. R. D.* item accessione, quâ res sine
facto hominis alteri accedit §. 20. *7. eod.* item specificatione,
quâ ex materiis diversis, sive iisdem species vel corpus consti-
tuitur. §. 34. *7. eod.*

7. Nimis ergò angustam existimo *Theophili* definitionem,
qui Traditionem de manu in manum translationem definit, si-
quidem eam tantùm traditionem complectitur, quæ 1. est re-
rum mobilium, quæ pugno teneri & de manu in manum tra-
di possunt. 2. quæ ab unâ saltem parte fit, non etiam recipro-
cè, ut rectè docet *Cujacius 11. observ. 9.* qui tamen ipse haud con-
gruè eam possessionis dationem finit. Etenim, ut supra dictum,
Traditio non tantùm possessionis, sed etiam usucapionis &
dominii titulus est. *l. 1. ff. pro suo.*

VIII. Imperfecta præerea est *Donelli* definitio, qui eam
per acquisitionem describit, cum talis tantum sit respectu ac-
cipientis, respectu enim tradentis potius est alienatio; quod
& facere mihi videtur *Vultej. 1. 7. R. 70. n. 21* traditionem appre-
hensionem vocans. Præterquam enim, quod apprehensio sit
correlatum traditionis, non consideratur traditio, ut ipsum fa-
ctum, sed, ut jus seu titulus dominium transferendi.

X. Divisiones Traditionis sunt variæ, quas ad tres potissi-
mum classes refero: 1. Est, quâ traditio dividitur in solennem
seu civilem & naturalem. Illa speciali nomine mancipatio
dicitur, quæ est imaginaria venditio rerum Mancipi (h. e. quæ
perpetuò civium jugo & manui subjectæ erant. *Hillig. 4. Don.*
t. 19. lit. A. in not.) adhibitis quinque testibus civibus Romanis
& libri pende *Boët. lib. 3. in topic. Cicer. P. Gregor. lib. 20. syntag.*
10. cap. n. 7. Hæc generis nomen retinet. Sed hodiè rerum illa &
dominii in bonitarium & quiritarium distinctione sublata,
hujus etiam distinctionis usus expiravit.

XI. 2. Quâ

XI. 2. Quâ dispescitur in Traditionem expressam, quando scilicet verbis expressis de domini translatione agitur: & tacitam, quando tacite, veluti, si duorum materia voluntate dominorum sint confusæ. § 27. *J. d. R. D. l. 7. §. 8. ff. d. A. R. D.* Sufficit enim, si hic consensus re aliquâ & facto declaretur. *l. 2. ff. de pact. l. 4. ff. pro Socio.* & inde traditio facta censeatur. *l. 79. ff. de solutionib. Donell. 4. comm. 20.*

XII. 3. Quâ distinguitur in Traditionem verâ seu propriam & fictam, seu impropriam. Illa est, quâ res corporalis ipso actu & corpore in alium transfertur. Ista verò, cum res magis affectu & interpretatione juris, quàm corpore transfertur. *d. §. 140. & seqq. ubi Dd. l. 6. ff. de donat. l. 1. §. 21 ff. de acquir. poss. l. 9. §. 3. & seqq. ff. d. A. R. D. l. 74. ff. de contrab. empt. l. 1. C. de donat.* Hottom. illustr. quæst. 12. Et hujus postremæ distinctionis inducendæ ratio fuit partim necessitas propter qualitatem rerum quæ propriam traditionem non admittunt; ut sunt res incorporales & immobiles; partim commoditas ut expeditius & pluribus modis res transferrentur. *Bacchor. 2. AntiTr. 20. thes. 4. lit. D.*

XIII. Causa efficiens Traditionis est jus naturale seu Gentium primævum §. 11. *J. d. R. D.* Jus enim naturale & jus gentium multis in locis confunduntur. *d. §. 11. ibi quod appellatur Jus gentium.* Hinc etiam is natura debere intelligitur, quem jus gentium dare oportet. *l. 84. §. 1. ff. d. R. 7.* Cum enim Traditio distinctionem dominiorum præsupponat non potest juri naturali in specie sic dicto adscribi, quo omnia erant communia, nec quisquam ab usu necessario rerum cõmunium prohibebatur: quamvis non negem distinctionem dominiorum ipsi quoq; juri naturali quodammodo fuisse cognitam, prout eruditè ostendit Clariss. Dn. Franzkius fautor meus colendus *exerc. 1. q. 6. Acutissimus Dn. Riemerus præcept. meus honorandus decad. 1. q. 5.*

XIV. Subjectum Traditionis sunt Personæ: una Tradentis, altera accipientis, id, quod natura & relata docent. *Vult. 1. J. R. 70. n. 23.* in utrâq; autem quædam desiderantur, sine quibus hoc genus alienationis peragi nequit: Et in tradente quidem tria; Tradendi scilicet potestas, voluntas & actus *Donell. 4. comm. 17. Treutl. 2. disp. 20. thes. 4. lit. A. dn. Forster. d. loc.*

XV. Pote-

XV. Potestatem tradendi habet rei Dominus §. 40. *J. d. R. D. l. 9. §. 3. ff. d. A. R. D.* qui itaq; Dominus non est, ejus rei dominium in accipientem non transfert. Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet. *l. 20. ff. de A. R. D. l. 54. l. 160. ff. d. R. J. c. 79, de Reg. jur. in 6. l. 27. §. 1. ff. de noxal. act.* Bonæ fidei ergò possessor, qui in plurimis juris articulis pro verò domino habetur. *l. 136. ff. d. R. J.* potestatem quidem tradendi habet, non tamen ut dominium transferat, quo ipse adhuc caret, sed ad usucapiendi conditionem, si alter quoque bonâ fide rem accipiat transferendam. *arg. §. 3. & §. 5. in fin. J. per quas pers. cuiq; adquir.*

XVI. Hinc dicitur in *l. 67. ff. de contrab. empt.* alienatio, cum fit, dominium cum suâ causâ transferimus, quæ esset futura, si ea res apud nos mansisset: ubi verba cum suâ causâ, idem notant, quod cum suâ conditione, ut, quo jure & conditione apud nos fuit, eadem sit apud accipientem. *l. 23. §. 2. ff. de S. R. P. nisi aliquid nominatim sit constitutum d. l. 67. h. e. non dispositum à jure, sed cautum & conventum à contrahentibus. Hillig. 4. Don. 5. 17. lit. b. in not. veluti si fundus liber eâ lege tradatur, ut alteri fundo tradentis serviat l. 6. ff. commun. Prædior.*

XVII. Tum demùm autem dominus rei Tradendi potestatem habet, si jure id facere non prohibeatur. Alienatio enim (cujus species est traditio respectu tradentis) contra prohibitionem legis etiam à domino facta nullum producit effectum. *l. c. C. de ll. c. 38. d. reg. jur. in 6.*

XVIII. Pupilli ergò sine tutoris autoritate res nullas alienare & tradere possunt. *§. 2. J. quib. alien. licet vel non. l. 9. pr. ff. d. autor. tutor. l. 3. C. eod. l. 11. d. A. R. D. l. 15. ff. de solut. pupillorum enim ratio ad curam publicam pertinet. l. 1. §. 1. ff. qui per. tut. l. 5. §. 5. ff. d. administ. tut. melius autem est juveniles coarctare calores, ne cupidini dediti, tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum patrimonium expectat. l. fin. §. 5. C. de bon. q. lib.*

XIX. Unde nummos ex alienatione, non faciunt accipientis, tametsi ex causâ tradant. *§. 2. J. de tit. l. 3. in pr. ff. S. C. tum. Maced. ac ne possessionem quidem naturalem transferunt.*

d. l. 11.

d.l. ff. d. A.R.D. nec si solvant creditori. d. §. 2. l. 9. §. 1. ff. d. autor. autor. Hoc tamen casu propter utilitatem eorum receptum est, ut si consumti sint nummi à creditore, ita ut vindicatio pupillis nulla futura sit, liberatio eis detur. *dd. ll. l. 14. §. fin. ff. de solut. l. 19. §. 1. ff. de reb. credit. §. fin. ff. d. tit.*

XX. An verò Tutoris auctoritate accedente, pupilli rectè tradendo alienent, quæ situm est? Ubi notandum, quod olim quidem ex constitutione Severi prædia tantum rustica & suburbana itèq; mancipia rustica alienare fuerint prohibiti. *l. 22. C. de adm. tutorum.* Hodiè autem ex constitutione *Constantini*, omnium rerum pupillarium mobiliū & immobilium, quæ servando servari possunt, sine decreto iudicis alienatio sit interdicta *d. l. 22.* eas tamen res, quæ servando servari nequeunt, etiam sine decreto Magistratus tutore auctore rectè alienant. *§. 2. ff. quib. alien. lic. vel. non.*

XXI. Quod de pupillis dictum, id etiam obtinet in minoribus ratione rerum immobilium & earum, quæ servando servari possunt. Non minus enim ad hos, quàm ad illos oratio *Severi* in *l. 1. ff. de reb. eor. q. sub tut.* pertinet. In cæteris autem rebus, quæ servando servari nō possunt dissimilis inter pupillum & minorem est ratio. Ille enim nihil planè sine tutoris auctoritate, sive habeat tutorem, sive nō habeat, alienat. Hic autè, si curatorem habet, tunc quidem sine ejus consensu non alienat, si vero non habet, & pro se tradit, dominium jure transfert, licet intra tempora constituta in integrum restituatur. *l. 3. C. de restit. in integr. minor.*

XXII. Porrò nec illi alienare & tradere possunt, licet sint domini, qui morbo vitiove corporis, ob quod rebus suis superesse nequeunt, laborant, ut sunt cæci, muti, & surdi perpetuò tales, quibus etiam curator assignari solet *§. 4. ff. de curatoribus.* Hi tamen omnes modò majores sint viginti quinque annis, quidq; agatur intelligant curatore auctore res quasvis etiam sine decreto Magistratūs rectè tradunt & alienant. Lex enim minoribus in alienatione auxilium tulit, proindè non majoribus. *l. 3. §. 4. ff. de minorib. l. 14. & seqq. ff. d. ll. §. 6. ff. d. ff. n. G. & C. cap. 74. d. reg. jur. in 6. nec eadem est ratio alienationis prohibita in*

B majori-

majoribus, ut in minoribus, ac per consequens, nec idem jus.
l. 26. ff. de judic. l. 32. ff. de pact. Don. 9. comm. 10.

XXIII. Quamobrem, si ejusmodi personæ contra legis prohibitionem alienaverint, & tradiderint invalida est ista alienatio & traditio, ita, ut neq; dominium ab ipsis recedat, neq; ad accipientem transeat. l. 2. l. 8. & l. 10. C. de prad. & aliis reb minor. non alienand.

XXIV. Interdum tamen & non dominus tradendi potestatem habet. pr. l. quib. al. lic. v. non. & vel ipsius domini voluntate, vel ipso jure. Domini voluntate, veluti. r. Procurator, speciale mandatum habens. l. 11. §. fin. ff. de pignorat. actione. l. 37. ff. ad SC. Treb. l. 33. d. acquir. poss. l. 41. ff. de reb. cred. nihil n. interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an voluntate ejus alius, cui ejus rei possessio est permessa. §. 42. l. d. R. D. l. 9. §. 4. ff. d. A. R. D. quod namq; quis per alium facit, ipse facere videtur. l. 5. §. 3. ff. de adm. tut. l. 185. ff. d. R. l. c. 72. d. R. l. in 6. Eadem ratione, si cui libera universorum negotiorum administratio permessa fuerit à domino, isq; ex his negotiis rem vendiderit & tradiderit, facit eam accipientis §. 43. l. d. tit. d. l. 9. §. 4. l. 12. ff. d. pign. act.

XXV. 2. Creditor. Licet enim Dominus non sit, pignoris sibi dati aut constituti §. 1. l. quib. alien. lic. v. non. l. 12. in pr. ff. de distr. pign. l. 35. §. fin. ff. de pignor. act. l. 9. C. cod. l. 7. §. 9. ff. de edil. edict. l. 46. ff. d. A. R. D. l. 12. §. 1. & l. 66. ff. d. furtis. si tamen pignus ob pecuniam justo tempore non solutam jure suo vendat & tradat, dominium transfert. d. §. 1. l. 4. ff. d. pign. act. l. fin. §. 1. C. de jure dom. impetr. l. 7. & seqq. C. de distract. pign. d. 46. ff. d. A. R. D. Ex voluntate namq; domini pignus alienare dicitur d. §. 1. l. Quod tamen, ne promiscuè fieret cautum est, ut aut denunciazione prius eâ de re legitimè factâ debitori, aut judiciali sententiâ præcedente, tum exacto deindè biennio. distractio tantum admitteretur. l. fin. §. 1. C. de jur. dom. impetr.

XXVI. Ipso jure, ut Tutores & Curatores, cum Tutelam administrant, non cum pupillum spoliant, l. 27. ff. de admin. Tut. l. 7. §. ff. pro emptor. l. 56. §. 4. ff. de furt. l. 1. §. 7. ff. quod vi aut clam. l. 16. C. de admin. tutor. l. 157. in pr. ff. d. R. I. Si quid ergò ex rebus pupillaribus, pro pupilli commodo vendunt, vel solvunt & tradunt, rem faciunt

unt accipientis *d. l. 16. C. de adm. tut.* An verò etiam donando rem pupillarem rectè tradunt? Nego si id faciant liberè & exercenda liberalitatis causà. *Bacchov. 2. Antitr. 8. th. 6. lit. 41.* idemq; juris esse statuo, si indebitum solvant. *l. 13. §. fin. ff. d. adm. tut.* Præceptoribus tamen pupilli rectè mercedes tradunt, solennia etiam munera cognatis mittere, & dotem sorori pupilli consanguineæ, non etiam uterinæ, constituere possunt. *l. 12. §. pon. ff. eod.* Immo & tutores illustrium Personarum rectè donando tradunt. Regum enim proprium est donare. Et nisi nobilitas in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet *cap. 1. X. de Donat.* eleganter, *Gail. 2. observ. 72. n. 9.* Verùm in his omnibus, non tam donatio est, quam solutio debiti, & eorum, quæ sine periculo dignitatis omitti nequeunt. *Donell. 3. comm. 12. ibi Hilig. lit. F. & G. in not.*

XXVII. Voluntatem tradendi quod attinet, est illa anima velut, & forma traditionis *Giph. ad §. 40. I. d. R. D.* quam ratam haberi convenit naturali æquitati *d. §. 40. l. 9. §. 3. l. 20. ff. A. R. D. l. 55 ff. d. O. & A.* Nam nec voluntas sine potestate, nec potestas sine voluntate actum hominis perficit. *l. 6. C. si quis alt. vel sib. l. 3. ff. d. jur. Codicill.* Et si non eâ mente, & voluntate rem suam Dominus tradit, quod velit illius dominium in accipientem transferre, sed saltem ut commodet vel deponat, dominium non transit, sed penes Dominum remanet. *l. 17. §. 1. ff. depositi l. 8. §. 9. ff. commodati l. 2. ff. de reb. cred. §. 2. & seqq. I. quib. mod. re. contr. oblig.* Hinc etiam, qui rem emptam sine voluntate vendentis propriâ auctoritate occupat, prædo, non justus possessor dicitur. *l. 5. ff. d. adq. poss.*

XXVIII. Excluduntur ergò à Traditione. 1. Infantes. Nam nullum intellectum & iudicium habent, quod scilicet sufficiat ad alienandi cogitationem. *§. 11. I. d. inut. stipul. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. fin. ff. de jur. & fact. ignor. l. 32. §. 2. ff. de adq. poss. l. 12. ff. ad l. Cornel. d. Sicar. & pro absentibus reputantur. l. 219. ff. d. V. S. 2. Furiosi l. 1. §. 12. ff. d. O. & A. l. 5. ff. d. R. J. l. 23. §. 1. ff. de Donat. §. 8. J. d. inut. stipul.* Nulla enim est illorum voluntas *l. 40 ff. d. R. J. l. 1. §. 3. ff. d. adq. poss.* Nulla meus *§. 1. J. quib. non est perm. fac. test. l. 5. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 2. §. 3. ff. d. jur. codic. nullusq; animi sensus l. 22. §. 7. ff. solut. marim.*

B 2

XXIX. Quid

XXIX. Quid de prodigis sentiendum? Et cum ipsis ad exemplum furiosorum bonis interdicator. *l. 1. ff. de curat furios.* cum neq; tempus neq; finem expensarum habeant, sed bona sua dilacerando profundant. *d. l. 1. quidni & ipsi à traditione arcendi sunt? l. 6. ff. d. V. O.* quoad voluntatem enim (præsertim in alienatione) & usum iudicii similes sunt furiosis *l. 14. ff. d. R. I.* qui enim nescit uti iudicio per morum insaniam, quid distat ab eo, qui planè nescit uti, cum in iure perinde sit, aliquid non fieri, & non rectè fieri *l. 1. §. 2. ff. quod cuiusq; univ. nom. l. 6. ff. qui satisd. cog. ampliss. Dn. Arum. præcept. meus honorandus. exercit. 12. th. 7. lit. B.*

XXX. Voluntatem autem & animum domini transferendi tunc habere tradens censetur, si ipse verè novit rem, de quâ transferendâ cogitat suam esse, eamq; pro suâ tradat. *l. 3. §. 8. ff. de condiçt. caus. dat. l. 35. ff. d. adq. R. D.* scilicet, quia non potest esse hoc animo, ut rem suam, transferat, qui suam esse ignorat. *Donell. 4. comm. 16.* & in totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt. *l. 76. ff. d. R. I.* Nemo igitur errans rem suam amittit. *d. l. 35.* quia nemo errans vult transferre. Non enim volunt, & consentiunt, qui errant. *l. 16 §. 2. ff. d. R. I.* Nec quicquam tam contrarium consensui est, quàm error, qui imperitiam detegit. *l. 15. ff. d. jurisd.*

XXXI. Cum verò secundum *Zasium* in *l. 31. §. ff. de reb. cred. n. 14. & seqq.* referente. *Hillig. 4. Don. 2. cap. 16. lit. A.* in not. error quadrupliciter committatur. 1. In re ipsâ vel dominio. 2. In substantiâ personæ. 3. In qualitate personæ. 4. Deniq; in causâ transferendi. Ideoq; statuo, quod prioribus duobus casibus domini translatio impediatur, *l. 36 ff. d. A. R. D. l. 52. §. 21. ff. d. furt.* posterioribus duobus non æquè nisi tamen diversitas causæ sit in genere, licet numero sit diversa. *l. 18. §. 1. ff. d. reb. cred. d. l. 36.* Si igitur Dominus ex causâ præcedente habili & animo transferendi rem tradat, etiamsi accipiens persona sit inhabilis, nec possessionem aut dominium acquirere possit, Dominus tamen, non quidem dominium, sed possessionem amittit, licet eam non apprehendat, cui de facto traditur, quod docetur in *l. 18. §. 1. ff. de adq. poss. Bacchor. ad Treutl. d. loc. lit. C.*

XXXI. Deia;

XXXII. Deinde voluntas tradendi declaratur ex causa. *Donell. 4. comm. 16.* Hæc enim est expressio voluntatis. *P. Gregor. 20. syntag. 10. n. 7.* Nam jocus & ludus videtur Traditio sine causa non serius actus *l. 12. ff. de acceptil.* Requiritur autem ad domini translationem justa & habilis causa. Nuda enim Traditio dominium non transfert. *l. 31. ff. d. adq. R. O.* Illa autem nuda dicitur, quæ est sola & sejuncta ab eâ causâ, quam cum traditione jus desiderat, *Donell. d. loc.* sicut alibi nuda voluntas, nuda conventio & nudus consensus dicuntur. *l. 9. § c. ff. d. A. R. D. l. 1. ff. de pign. act. l. 3. & l. 5. in fin. ff. d. resc. vendit. l. 1. ff. d. rer. permut.*

XXXIII. Justæ autem causæ, quibus voluntas Domini rem suam in alium transferre volentis exprimitur sunt, e. gr. 1. Donatio. *§. 40. d. J. R. D. §. 1. J. de donat. l. 1. ff. eod.* quod & ipsum donationis verbum evincit. *l. 1. §. 35. ff. de mort. caus. donat.* 2. Dotis datio. Hæc enim datur marito ad sustinenda matrimonii onora *l. 20. C. de jure dotium.* 3. Mutuum, ex eo enim sic dictum est, ut de meo tuum & de tuo meum fiat. *pr. J. quib. mod. re. contr. oblig. l. 2. §. 2. ff. d. reb. cred.* 4. Permutatio *l. 1. in fin. & l. 2. ff. d. rer. permut.* 5. Transactio. *l. 35. C. d. transact. l. 4. C. de præd. minor.* 6. Emtio venditio. *§. 41. J. d. R. D. l. 31. ff. d. A. R. D. l. 1. & l. 11. §. 2. ff. d. action. empti l. 1. C. d. pericul. & commod. rei vendita.* 7. Datio in solutum. *l. 46. & seq. ff. d. usucap.* vicem enim emptionis obtinet *l. fin. ff. ex quib. caus. in poss. eatur. l. 4. C. de evict. l. 24. ff. d. pignorat. act. l. 4. §. 31. ff. d. except. dol. mal.* 8. Divisio *§. fin. J. de offic. judic. l. 1. & seq. ff. communi divid.* quia & hæc locum emptionis tenet. *l. 1. ibi Dd. C. commun. utriusq. jud.* unde etiam, qui post factam divisionem simultaneam investituram nõ petit jus suum perdit. *Lehnrecht cap. 32. Constit. Elector. 45. p. 2. ibi Moller. Rauchbar. part. 2. quest. 21.* 9. Adjudicatio per sententiam judicis facta. *§. c. §. fin. J. de offic. judic. l. 1. ff. de jurisd. l. 21. §. 3. ff. d. ann. legat. l. 29. §. 1. ff. de statutib. & plures aliæ de quibus vid. Donell. §. comm. 14. per tot.*

XXXIV. In titulo tamen emptionis & venditionis hoc speciale est, quod dominium non aliter emptori acquiratur, nisi ipse pretium solverit venditori. *§. 41. J. d. R. D.* Idq; non tantum *legibus 12. tabb.* sed & jure naturali cautum est. *d. §. 41.* ob conjecturam scilicet voluntatis ab experientiâ desumptam,

B 3

cum

cum eā mente res vendantur, ut pro iis precium numeretur. Res enim non ab alienandi animo, sed precium consequendi causā venduntur. *Hottom. ad d. §. 41.* Quippē nemo suum jactare creditur. *l. 25. in pr. ff. d. probat.* deindē etiam plerumq; impedirentur commercia, si non statim venditori satisfaceret, qui sæpē necessitate compulsus, rem suam vendit, ut pretio utatur. *Giph. ad d. §. 41.* Accedit, quod utriusq; & emptoris & venditoris vota æqualitē circa precium & rem venditam concurrant. *l. 16. §. 3. ff. de minoril. l. 39. ff. de solut. l. 8. C. de rescind. vend.* Et contractus emtionis & venditionis aliter effectūs suos sortiri non posset, si non æqualia hinc inde commutentur. *Aristot. 5. Ethic. 5.*

XXXV. Unde *Plato ii. de ll.* jubet res venum expositas statim loco venire præsentē utrinq; traditione: extra forum autem vel in diem protractam venditionem nullius esse momenti; quod apud Græcos etiam in more fuit, unde Proverbium illud: Græcā Fide mercari, nihil aliud esse docet *Fornerius 1. select. 8.* quā præsentē pecuniā emere, videatur elegantē *Hillig. 4. Donell. Enucl. 14. lit. D.*

XXXVI. Quod cum Jctis in verendum & diffidentie quasi argumentum videretur, illorum ingeniis introducta est ficta pecuniæ præsentia, ut, quamvis pretium solutum non sit; tamen, si alio modo puta fidejussoribus, vel pignoribus creditori (scilicet consentienti) satisfactum fuerit atque adeo etiam sine ulla satisfactione fides emptori habita sit, *§. 41. f. d. R. D. l. 19. l. 53. ff. d. contrab. empt. l. 38. §. 2. ff. d. liberal. caus. l. 5. §. 1. ff. de tributor. act. l. 12. in fin. l. 25. §. 1. ff. d. usufr. l. 12. C. d. rei V. l. 9. C. de contrab. empt.* Venditor non modò præsens pretium numeratum accepisse, verum etiam jam acceptum credidisse censeatur. *Hottom. illustr. quest. 12. Heig. ad §. 41. f. d. R. D.* dummodò is, qui vendidit, fidem de pretio habere potuerit, quod in procuratore fisci, tutore, & curatore, & similibus secus est. *l. 5. §. 1. ff. d. jure fisci. l. 5. §. 7. ff. d. R. f. Godofred. in not. ad Schneidw. ad d. §. 41. lit. C.*

XXXVII. Quandò a. fides de pretio habita censeatur controversatur? ego tūm id maximē factum puto, cum dilatio solutioni expressē præfixa vel pecuniā non acceptā rem tolli permissum est. *l. 3. §. 1. C. de pact. int. empt. & vendit. Schneidw. Heig. ad d.*

ad d. §. 41. Gail. 2. obs. 15. n. 8. nisi res sint ejusmodi, quæ non, nisi præsentem pecuniã venduntur, ut accidit in iis, quæ ad nundinas comportantur, aut quoties res homini peregrino venditur. Hoc enim in casu venditoris, facta licet traditione eas manere verius est. Heig. d. loc. n. 12.

XXXVIII. Quod si pretium non fuerit solutum, neque alio modo satisfactum, neque fidem emptoris de precio dando venditor secutus sit, datur ei rei vindicatio, vel si nondum tradiderit rem, eam quasi pignus retinere potest, donec ei pretium solvatur. l. 13. §. 8. ff. d. actionib. empt. Gail. 2. obs. 17. Nec emptor interea usucapere potest, Cuj. ad l. 2. §. 1. ff. de contr. empt. Et si non sit solvendo, aliis creditoribus omnibus venditor in re suã præfertur. l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. possid. Gail. 2. obs. 15. n. 4. Quod non procedit, si fides emptori fuerit habita. Nam tum venditor neque rei vindicationem amplius habet, neque prioribus emptoris creditoribus, in ipsã re venditã de jure communi potior est. l. 5. §. planè 17. ff. de tribut. act. l. 6. ff. de in rem vers.

XXXIX. Potest tamen etiam hoc in casu venditor sibi prospicere, ut aliis creditoribus in re venditã præferatur, si legem contractui subjiciat, ut res vendita precario, aut ex conducto penes emptorem sit, donec omne precium fuerit persolutum. l. 3. C. de pact. int. empt. & vend. l. 22. ff. d. hered. vend. l. 20. ff. d. precario. Gail. 2. obs. 12. Dn. Forster. d. tr. c. 9. n. 141. Vid. etiam Moller. part. 2. constit. elector. 23. n. 4.

XL. Atque hæc de justis dominiũ transferendi causis, sive reverã sive opinione tradentis. Causa enim ad probationem voluntatis requiritur: tam autem vult, qui putat se habere causam cur velit, quam qui verè habet. l. 13. §. 1. ff. d. adq. poss. In illis enim causis, in quibus res tantum vel custodia, ut depositum. l. 17. §. 1. ff. depositi. l. 37. §. 2. ff. d. legat. 2. vel usus, ut commodatum. l. 8. §. 9. ff. commodati. item precarium l. in fin. ff. de precar. & locatio l. 39. ff. locati. vel deniq; cautionis gratiã, ut pignus. l. 35. §. fin. ff. de pign. act. res traditur, non dominiũ, sed tantum possessionis, vel nudæ detentionis translatio consistit. Don. 4. comm. 6.

XLI. Tertium quod in tradente requiritur est tradendi actus seu possessionis translatio, quæ acquisitionem perficit, sine

sine quâ etsi priora duo adsint, nihil transit, quando scilicet inter duos res geritur. *Donell. 4. comm. 17.* & hæc est summa ac propria acquisitionis causa, reliquæ duæ cum conventionibus sunt communes, unde etiam ab hæc traditio nomen sortita est. Ex possessione enim oritur dominium *l. 1. in pr. ff. de adq. possess. quæ, quia facti est, non potest, nisi de facto, id est, traditione transferri, non etiam verbis, aut consensu Giph. ad l. 3. ff. d. O. & A. n. 3.* Pactis siquidem rerum dominia non transferuntur. *l. 20. C. d. pact. l. 3. ff. 1. O. & A.* Nam hæc res naturalem dationem desiderat. *l. 8. ff. d. pecul. l. 53. ff. d. A. R. D. l. 61. in pr. ff. d. V. S.*

XLII. Hinc emptor rem sibi venditam & nondum traditam vindicare non potest, sed tantummodo ex empto actionem habet. *l. 40. ff. de Act. empt. l. 50. ff. d. R. V. l. pen. C. eod. l. 6. C. d. her. vel act. vend. l. 3. C. de iis q. à non dom.* Et si res duobus in solidum est vendita, in ejusdem dominio obtinendo potior est is, cui priori est tradita. *l. 15. C. de R. V. d. l. 6. C. d. hered. vel act. vend. & tuendus est is, qui prior jus rei deprehendit, id est, cui primum est tradita l. 31. ff. de act. empt.* Is tamen, qui eandem rem diversis contractibus duobus vendidit, pœnâ falsi coercetur. *l. 21. ff. ad l. corn. d. fals.* & si uni eorum tradiderit alteri emptori id præstare cogitur, quod ipsius interest. *l. 50. ff. d. R. V. l. 4. ff. de actionib. empt. l. 6. C. de hered. vel act. vend. l. 11. C. de act. empt. vendit.* quoniam fidem contractus fregit. *d. l. 6. & d. l. 11.*

XLIII. Quid si duo, quorum alter est dominus, alter non dominus eandem rem vendant, & tradant duobus, uter horum erit potior? tum potiozem existimo, qui à domino causam habet, licet posterior sit tempore. *l. 31. in fin. ff. d. act. empt.* Si tamen aliquis non dominus alicui rem vendat & tradat, postea dominus factus eandem rem alteri vendat potior est ille, cui tradita est. *l. 72. ff. d. R. V. Cujac. 18. obs. 31.* Sed si duobus res vendita sit & tradita, & ignoretur utri prius sit tradita? Tunc si constare non possit aliis argumentis cui primò tradita sit, iudex perpendere debet, cum quo sit primò tractatum, & primum emptorem fuisse quoque primum possessorem præsumendum est. *Sichard. ad d. l. quotiens 15. n. 14. C. d. R. V.*

XLIV. Et hæc non tantum in emptione, venditione; verum

rum

rum etiam in donatione procedunt. *d. l. 15. C. d. R. V. l. fin. ff. de donat.* excipitur donatio à principe facta, cujus prima donatio posteriori prævalet, quamvis rei traditio facta sit. *Dn. Arum. disp. P. P. 8. th. 18. per l. 5. C. d. locat. prædior. civitat. l. 11. & l. 6. C. de fundo patrim.* quia in Principe tanquam fonte justitiæ constans voluntas esse debet, & sicut lapis angularis immobilis, aut pilus in cælo, ut loquitur *Bald. cons. 327. n. 4. vid. Gail. 2. obs. 55. per tot.*

XLV. Perdit autem officium suum *d. l. quoties C. de R. V.* in locatione in pignore &c. & in iis omnibus, in quibus solus titulus sufficit. *l. 26. ff. locati. l. 9. C. eod. l. 12. in fin. ff. qui potior. in pign. hab. l. 3. C. eod.* Quemadmodum etiam in privilegiatis, si primò scilicet venditum sit Ecclesiæ, civitati & pauperibus Christi. *l. fin. C. de S. S. Eccl. ibi Br. Bl. & alii Dd.* item in ecclesiasticis personis vendentibus. *c. si diligenti X. d. for. compet.* Nam clericus non potest variare. *c. cum illuso X. d. renunciat. c. cum autem X. de jure patronatus.* & in ecclesiasticis magis reprobata deceptio. *c. continebatur X. de his que sunt à præl. c. cum inter canonicos X. de elect.* ecclesia namque debet esse tutrix justitiæ. *c. 1. vers. sed si diversum X. de alienatione feudi. c. per tuas. X. de donat.* sicut & in beneficiis ecclesiasticis. *c. si tibi X. de præbendis c. tibi c. si per te. c. duobus X. d. rescript. c. tibi, qui c. capitulum eodem. in 6. Dn. Forster. d. tr. c. 9. n. 145.*

XLVI. De feudis intricatissima est controversia, si duo de eodem feudo abusive investiti fuerint, & alter eorum possessionem nactus sit, quinam potior existimari debeat? Equidem propter gravissimas rationes, quæ pro utraq; parte adferri possunt, cui calculum adjiciam ferè ignoro. Quia tamen sententia pro possessore militans, & fundamentis firmissimis innititur, ac quotidiano usu & praxi comprobatur, ideò in eam sum proclivior. Qui enim duobus vinculis utitur, is fortiore jure munitus est, quàm is, qui saltèm unico insistit. *arg. § 2. J. de adopt.* At cui res tradita est, & fulcro investitiæ & traditionis gaudet. E. Deindè, quia hic traditione dominium utile nactus est, quod absq; ejus culpâ ipsi adimi non debet. *c. unic. §. si quis 1. F. 22. ampliss. Dn. Arum. disp. feud. 5. th. 10.* Et huic sententiæ suffragantur

C

fraga-

fragatur etiam jus Saxonicum. Nam eo jure, Wer die rechte Gewehr an einem Gute hat / der sol es mit mehren rechten behalten / dann jener / der der rechten Gewehr darbet. *Lehnrecht. artic. 37.*

XLVII. Dixi autem, si abusivè fuerint investiti. Nam investitura nihil aliud est, quàm traditio. *c. fin. 2. F. 1. & pr. Feud. 2.* Dicitur enim ab investiendo eò, quod vasallus possessione, tanquam veste induatur. *Vult. de Feud. c. 7. n. 5.* Et ad exemplum traditionis rectè dividitur in veram, seu propriam, & abusivam seu impropriam. *c. unic. in pr. 2. F. 2.* Illa nihil aliud est, quàm ipsius rei in feudum concessi corporalis traditio. *d. c. unic. in pr.* indeq; ibidem possessio dicitur, hoc est, rei ipsius detentio, seu usus rei. *l. 115. §. 1. ff. d. V. S.* Hæc verò est corporei alicujus signi. e. gr. vexilli, hastæ, baculi &c. verborum promissione additâ porrectio *d. c. unic. Dn. Arum. d. loc. th. 6.* Illa porrò verè nulla intercedente fictione & plenario cum effectu fit. Hæc verò, nec plenè nec verè nec sine fictione: quia tantùm per signa fictitia repræsentata, pro verâ traditione reputatur, idq; non nisi à parte Domini. A parte verò vasalli antequam ipsa possessio apprehendatur hæc traditio nihil realitatis & ultra personalem contractus effectum operatur, eleganter *Janus ab Arcedura. c. 3. concl. feud. 4. n. 3.*

XLVIII. Unde corrui etiam illorum opinio, qui per abusivam investituram dominium utile in vasallum translatum esse contendunt. Præterquam enim, quod Dominus vasallum in possessionem mittere tenetur. *c. unico 1. Feud. 4. c. unic. §. 6. 2. Feud. 16.* (id quod dominio jam antè translato fieri non potest, siquidem hoc ex possessione oritur, ut dictum *supra per l. 1. §. 1. ff. d. acquir. poss.*) etiam à Feudistâ *in d. c. unic. in pr. 2. Feud. 2.* hæc differentia inter investituram propriam & abusivam constituitur, quod per illam possessio, & sic dominium transferatur: per hanc verò non item. *Dn. Arum. d. l. th. 9.* Nam licet in alodialibus & aliis rebus per traditionem fictam æquè ac veram Dominium acquiratur; id tamen non procedit in feudis, quia illud fit ex fictione juris civilis. Fictio autem omnis restringenda est, nec ultra casus expressos extendenda. *Dn. Forst. 2. obs. 25.* neq; locum habet in alio jure, quàm ex quo est introducta. *Bacchov. 1. AntiTr. 2. th. 6. lit. F.*

XLIX. Non tamē ob id planē inutilis investitura abusiva cen-
senda est, siquidem vasallus tali modo investitus, actionem ad
Cambium aut interesse (ad quod ipsi Dominus tenetur. *c. unic.
in fin. 2. F. 7.*) salvam habet, *pr. 2. Feud. 8. c. 6. 2. F. 26.* ut vel pecu-
niam feudo æquivalentem Dominus solvat, vel aliud feudum
confimile, parivē æstimationis præstet, ut post *Bl. in d. c. unic. S.
fin. Hartm. pist. 2. quest. 29. n. 3. Mynsing. 4. obs. 61. docet Baccholt.
cap. 7. n. 7. de Feud. cui etiam congruit jus Saxonicum. Lehnrecht.
cap. 11. & cap. 33.* Potest etiam abusivē investitus possessionem
feudi nautisci, sicq; à parte suâ implere antequàm alter pro-
priè de Feudo investiatur, tunc enim prior est. Prioritas siqui-
dem hîc non ex facto Domini, aut contractu amborum, sed ex
dominii per apprehensionem possessionis acquisitione, æsti-
manda est. Denique, qui primò acquisivit feudum ab omni
alio, etiam domino ipso possessionem avocare potest. *d. c. 6. 2.
F. 26.* si modò Dominus ejus præstâdi facultatem habeat, quam
tùm habere amplius non censeatur, cum alius investitus rem
occupavit *vid. Arcedur. d. loc. n. 17. & seqq.*

L. Requiritur autem insuper in ipsâ traditione, si debeat
esse efficax ad dominium transferendum: 1. ut sit pura & non
conditionalis. *l. 34. in fin. pr. l. 38. ff. d. acquir. poss.* Siquidem hic est
effectus ordinarius conditionis, ut actum suspendat, & domi-
nium quoq; transferri interim impediât. *l. 8. ff. d. reb. cred. 2. Ut
vacua possessio tradatur. l. 8. C. de actionib. empt. l. 2. §. 1. & l. 3. ff. eod.
l. 2. C. de probat. l. 13. ibi Godofred. C. de distr. pign.* Non enim vide-
tur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere
nou possit. *l. 22. ff. d. acquir. poss.* Nam tunc demùm in potestate
Domini aliquid venisse dicitur, cum possessionem ejus nactus
est justè, ut avelli non possit. *l. 4. §. 12. ff. de usucap. l. 3. §. 1. & 2. ff. d.
V. S. Hottom. quest. ill. 11. Gædd. ad l. 188. ff. d. V. S. Wesenb. partit. ff. d.
contr. empt. n. 13.* Unde si quis extipulato ad tradendum obliga-
tur, adstringitur quoque ad vacuæ possessionis translationem.
*l. 2. §. 1. l. 1. in pr. & §. 1. ff. d. act. empti l. 52. §. 1. ff. d. V. O. Wesenb. &
Gædd. dd. ll.*

LI. Intelligo autem hîc possessionem omnino perfectam,
quâ quis rem affectione domini pro suâ tenet, ex quâ etiam ori-

cur dominium. l. 1. §. 1. ff. d. adq. poss. & sic duo in solidum eandem rem possidere nequeunt. l. 3. §. 5. ff. eod. l. 5. §. 15. ff. commod. l. 19. ff. d. precario l. 19. §. 3. ff. d. castrens. pecul. Non autem nudam detentionem, hæc enim penes alium existens, impedire non potest, quo minus res rectè tradi & dominium transferri possit, cum ipsa vera possessio sit penes tradentem, quia nec ad dominium adquirendum confert. l. 50. ff. de R. V. l. 40. ff. d. actionib. empti. l. 20. ff. d. adquir. R. D. Et etiam si possessio suo modo vera sit penes alium; citra tamen animum & adfectionem Domini nihilominus apprehensione rei simplici dominium adquiri posse puto, veluti si res pignori tradita sit, quamvis possessio ejus penes creditorem sit, pro securitate debiti illa tamen non impedit, quo minus rem hæcenus adprehendere liceat, ut salvo jure creditoris & pignoris Dominus quis efficiatur. vid. elegantèr hæc de re tractantem. Bacchov. 2. Antitr. 20. th. 4. lit. D.

LII. An verò & venditor emptori talem vacuum possessionem præstare teneatur, quæsitum est? Quod affirmo. Hoc enim non tantum ex l. 2. & 3. in pr. & §. 1. ff. de act. empt. sed vel maximè exindè probatur, quod res empta possessa, usucapi debeat, unde titulus ff. & C. pro emptore. Venditor enim ad hoc tenetur, ut emptori habere rem liceat. l. 88. ff. d. V. S. l. 25. §. fin. ff. de contrah. empt. atque ita usucapere, inde si emptor non usucapiat suâ culpâ, ratione evictionis ad venditorem regressum non habet. l. 56. §. 3. l. 43. ff. d. evict. Quod fieri non posset nisi venditor in emptorem vacuum possessionem transtulisset, sine quâ usucapio procedere perpetuò non potest, quia ut dictum duo eandem rem in solidum possidere nequeunt.

LIII. De jure Saxonico amplius, antequam traditio perfecta sit & effectum sortiatur, requiritur, ut fiat in judicio. Da muß die Auflassung für Gericht geschehen. Wesenb. ad §. 41. f. d. R. D. Quod tamen usu non servatur ut aliquoties in dicasteriis responsum refert. Forst. d. loc. tr. c. 9. n. 163. p. 309.

LIII. Atq; hæc de prima Subjecti parte, nimirum Personâ tradentis; sequitur, ut de Personâ accipientis alterâ subjecti parte non nullâ subjiciam. Et cum Relatorum eadem sit ratio, ideo ut in Personâ tradentis, ita etiam in personâ accipientis

tria

tria notanda sunt: Apprehendendi nimirum. 1. Potestas. 2. Vo-
luntas. 3. Actus, seu ipsa apprehensio.

LV. Apprehendere possunt omnes, non tamen æquali-
ter ad effectum dominii adquirendi. Quidam enim ista appre-
hensione sibi, quidam aliis adquirunt. l. 10. §. 1. ff. d. adq. R. D. §. item
vobis 3. §. per quas pers. cuiq; adq. Sibi adquirunt dominium illi o-
mnes, qui sui juris sunt, & quibus acquiri potest. Aliis, qui in po-
testate sunt. l. 10. l. 53. ff. de t. l. i. ff. de his, q. sui vel. alien. jur. In pote-
state autem vel Patriâ, vel Dominicâ. In Patriâ potestate, ut li-
beri, qui omnia patri adquirunt, quæcunq; per traditionem ap-
prehendunt. §. 1. §. de t. d. l. 10. §. 1. l. 1. in pr. ff. si à par. 9. manum. l. 5.
ff. rem pup. salv. fore. exceptis pecuniis castrensibus & quasi ca-
strensibus. In his enim patrum familias loco habentur l. 2. ff. ad
SC. Macedonian. l. 98. §. 1. ff. de solut. l. 3. §. 9. ff. de minor l. fin. C. de inoff.
test. l. 6. §. 7. ff. de bon. quæ liber. Item peculio adventitio, respectu
proprietatis, non verò usufructus. l. 8. in pr. C. de bonis quæ lib. l.
fin. C. delegit. hared. l. 1. C. de bon. mat. quod non procedere puto in
feudo. Nam hic patri usumfructum non acquiri existimo, cum
Dn. Forst. disp. 9. th. 5.

LVI. In Potestate Dominicâ ut Servi. Quicquid enim hi nan-
ciscuntur, id dominis suis adquirent. §. 1. §. d. his q. sui vel al. jur.
§. 3. §. p. qu. pers. cuiq; adq. l. 1. C. eqd. l. 1. ff. d. his qui sui vel al. jur. sive
is dominus jus plenum habeat Servi; sive usufructum, sive bo-
nâ fide possideat. In his enim casibus fructuarius & bonæ fidei
possessor habentur pro dominis pr. §. 3. §. per q. pers. cuiq; adq. acquir.
sed communis servus illi dominium acquirit, cujus jussu vel no-
mine apprehendit. arg. §. fin. §. d. Stipul. serv. modò tamen servi
ex scelere non acquisiverint. l. 7. §. 1. ff. de bon. damnat.

LVII. Interdum tamen etiam per extraneam personam, vel
uti per procuratorem possessio, & per hanc dominium nobis ac-
quiritur §. pen. f. per qu. pers. cuiq; adq. l. 9. ff. de adq. poss. l. 34. §.
fin. §. de furt. l. 13. ff. de adq. rer. dom. l. 1. C. per qu. pers. Si nimirum
dominus rei eo animo procuratori nostro tradiderit, ut eam no-
stram esse velut. Sicut enim in acquirendâ possessione per pro-
curatorem inspiciamus voluntatem procuratoris, ita in acqui-
rendo dominio consideramus voluntatem domini tradentis.

Vult. 1. J. R. 69. n. 14. Quamobrem, cum Procuratori nostro res à Domino traditur eâ mente ut nobis acquiratur, ut maximè Procurator suo nomine & non nostro possessionem accipiat, ipsiq; adeò possessio acquiratur, nobis tamen & non ipsi acquiritur dominium *l. 37. § fin. ff. d. adq. rer. dom. l. 13. in fin. ff. de Donat. vid. eleganter Sichard. ad l. 1. C. per qu. pers. nob. adq. n. 1. Bacchov. 2. Antitr. 21. tb. 3. lit. E.*

LVIII. Voluntas apprehendendi æstimatur ex consensu accipientis *l. 55. ff. d. O. & A.* quo cum furiosi & infantes destituantur, idem quod supra de tradente diximus & hic erit iudicium. Consensus autem ille in duobus consistit. 1. Ut consentiatur in corpus rei, Illi enim non acquiritur, qui in corpore accipiendo errat *l. 36. ff. d. adq. rer. dom. l. 34. ff. d. adq. poss.* 2. Ut velit rem suam fieri. Invito namq; nihil acquiritur *l. 69. ff. d. R. J. quemadmodum nec dominium ab invito recedit. l. 11 ff. eod. l. 35. ff. d. A. R. D.*

LIX. Et hic quidem affectus ex causâ præsumitur, quæ talis esse debet, ut dominium per eam transferatur. Sive autem reverà talis causâ præcesserit, sive eam præcessisse fuerit opinatus vel potius, si existimaverit causam, quæ præcessit justam esse: quod si verò nihil, nec de facto præcesserit, ad acquirendum dominium possidenti nihil prodest. Accipiens enim ex justa causâ putativâ, nec dominium acquirat, nec titulum ad effectum & jus usucapiendi, nisi justam errandi & opinandi habuerit causam *l. 26. l. 29. l. 33. §. 1. l. 44. ff. de usucap. §. 10. J. eod. l. 11. ff. pro emptor. l. fin. §. 1. ff. pro suo Bacchov. 2. AntiTr. 20. tb. 4. lit. C.*

LX. Dissensus igitur circa causam accipiendi non obest *l. 36. ff. adq. poss.* modo causæ istæ, numero quidem diversæ genere convenient, ut scilicet utraq; habilis sit ad dominium transferendum *d. l. 36.* secus si genere diversæ sint, veluti, si pecunia mutuo data accipitur quasi commodata, tunc enim deficit animus acquirendi. *Don. 4. com. 18.*

LXI. Apprehendendi deniq; actus, seu ipsa rei traditæ acceptio requiritur. Quod enim de donatione Cicero in *Top.* dixit, eam non esse sine accipiente, multò rectius dici potest de traditione. Non enim inter se referuntur donatio & acceptio sed traditio & acce-

acceptio. *Don. d. loc.* Et licet tradere & accipere significatione sint disjuncta, & relativè contraria; effectu tamen & pro consideratione relatorum ita sunt conjuncta, ut qui unum dixit, alterum quoq; dixerit necesse est. Nam sine acceptione nulla est traditio qua dominium transferatur.

LXII. Acceptio autem rei tum fieri censetur, cum is, cui traditur, rem corpore & animo apprehendit; Aliter enim jure gentium facto nostro dominium non apprehendimus. *l. 1. §. 1. l. 3. ff. adq. poss. §. 5. in fin. §. per qu. pers. cuiq; adq.* Quod etiam factum intelligitur in re immobili, si accipiens inducatur in possessionem, item si dominus constituit, se meo nomine possidere, si claves tradat, & si custodem apponam, de quo infra latius. *Dn. Forst. d. tr. cap. 9. n. 153.*

LXIII. Objectum traditionis, seu materia circa quam sunt res omnes, tam mancipi quam nec mancipi, tam stipendiaria quam tributaria prædia, item tam mobiles quam immobiles, tam corporales quam incorporales. Sed corporales quidem propriè. Hæ enim solæ sua natura possunt tangi. *tit. §. d. reb. corp. & incorp. l. 1. §. 1. ff. d. R. D.* Ac proinde etiam propriè tradi & possideri. *l. 3. in pr. ff. d. adquir. poss.* Incorporales verò impropriè, cum non propriè possideantur, sed tantum quasi possideri intelligantur. *l. 23. §. 2. ff. ex q. caus. maj. l. 16. §. fin. ff. d. pet. hered. l. 20. in pr. l. 23. §. fin. ff. d. S. V. P. l. 14. ff. de servit. l. 10. ff. si servit vind. l. 3. in pr. ff. de acquir. poss. l. 4. §. 27. ff. de usucap.*

LXIV. Illarum tamen rerum traditio, quarum alienatio est interdicta pro nulla habetur, ita, ut nec possessio, nec dominium per eam transferatur. Interdicitur autem alienatio, vel ipso jure seu lege, vel ultimâ voluntate, vel conventionem, vel à judice ex causâ.

LXV. Lege interdicitur alienatio & traditio. 1. Rerum Ecclesiasticarum. *l. 21. auth. hoc ita. C. d. S. S. Eccl. nov. 7. cap. 11. nov. 120. cap. 5. & t. t. X. de reb. Eccles. non alien.* Harum duo sunt genera. Quædam enim simpliciter ad cultum divinum sunt destinata, ut calices & libri: quædam verò non simpliciter ad cultum divinum, sed tantum ad sustentandos Ecclesiæ ministros pertinent, & hæc quidem, si vel Ecclesiæ conditio inde fiat melior, vel ære alieno

alieno gravato de mobilibus satisfacere nequeat. *d. l. 21. C. d. S. S. Eccl. rectè alienantur; Illæ verò non, nisi in casu famis, d. l. 21. d. nov. 120. c. 10. sepulturæ pauperum, c. 70. caus. 12. quest. 2. & redemptionis captivorum §. 8. f. d. R. D. d. l. 21.*

LXVI. Non absurdum enim est animas hominum quibuscunq; etiam vasis & vestimentis præferri *d. l. 21.* & melius est vasa viventium servare, quàm metallorum. Nec n. aurum Sacramenta quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum est redemptio captivorum, & verè illa sunt vasa quæ animas redimunt à morte. *d. c. 70. caus. q. 2.* Rectè igitur Achatius, cum multi Christiani capti essent, suavit, omnia vasa sacra alienari debere hâc usus ratione, quod Deus neq; vasis neq; poculis indigeret, quia neq; biberet, neq; ederet. *Socrates lib. 7. cap. 21.*

LXVII. Et quidem ista alienatio in tantum prohibita est, ut res Ecclesiasticæ nec in feudum regulariter dari possint. Quarum rerum enim alienatio prohibetur, eas nec per beneficium dare conceditur *c. 1. 2. Feud. 3. Dn. Forst. d. tr. cap. 7. n. 20. & seqq.* ubi plures ampliaciones & limitationes adfert. Unde ex constitutione Concilii Lugdunensis illi, qui res Ecclesiæ petunt à regibus & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, non tantum nihil obtinent, sed etiam à communione ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excluduntur *c. 2. X. d. rrb. eccles. alien. vel non.*

LXVIII. Semel enim Deo dicatum ad profanos usus converti non debet *c. semel d. reg. 7. in 6.* unde infero, quod, quæ olim ad Ecclesiarum & Capitulorum sustentationem & sacri administrationem ex piâ devotione sunt legata ab heredibus testatorum, vel etiam à quibusdam terrarum dominis minus rectè occupentur, & debebant potius abusu superstitioso sublato, ad pium & rectum usum transferri *arg. l. 16. de usufr. legat. Lindeman. exerc. 2. tit. 1. th. 15.* Et sanè Reipublicæ interest, bona Ecclesiæ rectè conservari, unde suppetant sumtus ministros Ecclesiæ, Scholarum, & pauperes alendos, & ad ædificia divino usui sacra tuenda. *Don. 9. comm. 10.*

LXIX. De

LXIX. Deinde rerum Feudalium alienatio & traditio Vafallo interdicta est. *c. 1. 2. Feud. 8.* Quæ prohibitio propter domini contemptum *c. 1. §. fin. 2. Feud. 24.* non solum in rei deterioratione, & diminutione, sed etiam in ejusdem melioratione procedit *arg. l. 44. ff. d. usufr. Schrad. p. 8. de Feud. c. t. n. 49.* in tantum, ut ne quidem tempore necessitatis id fieri possit. *c. unic. §. necessitas 2. F. 9. c. unic. in pr. 2. Feud. 55.* nisi extrema & urgens sit necessitas, exempl. gr. famis. *d. cap. un. §. necessitas. Zas. part. 9. n. 13. Godofred. Anton. disp. feud. 9. th. 4. lit. A.*

LXX. Quod si verò quis feudum pro se & quibus dederit, acceperit, vel Dominus & agnati in alienationem consenserint, tunc rectè feudum alienatur *cap. un. 2. F. 48. c. unic. 2. Feud. 55. c. unic. §. si verò 4. F. 73. c. unic. de successione Feud.*

LXXI. Præterea lege quoq; prohibitus est maritus fundum dotalem vel aliam rem mobilem & inæstimatam alienare *pr. §. quib. al. lic. v. non.* ne quidem volente & consentiente muliere, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur *d. pr. l. un. §. 15. C. d. rei ux. act. Auth. sive à me C. ad SC. Vellejan. t. t. ff. d. fundo dotali,* quamvis maritus sit dominus dotis *§. 40. §. d. R. D. pr. §. quib. al. lic. vel non l. 7. §. 3. l. 9. §. 1. l. 75. ff. d. jure dotium l. 3. §. l. 11. l. 23. C. eodem l. 13. §. 2. ff. de fundo dotal. l. 11. §. 4. ff. ad municip. l. 3. ff. de publ. in rem act. l. 21. ff. d. manumiss. l. 9. C. d. R. V. Bacchov. 2. Antitr. 7. th. 6. lit. C.* excepto casu necessitatis, quo alienatio permittitur *l. 1. ff. de fund. dotali l. 2. C. eodem.* Eundem in modum & uxor res propter nuptias sibi donatas alienare prohibetur, *auth. nunc inibetur C. de donat. ant. nupt. nov. 127. cap. 3. auth. sive à me C. ad SC. Vellejan.* Quamvis earum sit domina, ac proinde easdem marito ad inopiam vergente vindicare possit *l. 29. §. auth. donationem C. de jure dotium nov. 97. c. 6. auth. permissum C. de donat. propter nuptias.*

LXXII. Deniq; lege interdicta est alienatio quævis rerum adjuvandos Hostes pertinentium, ut est aurum *l. 2. C. de commerc. esculenta & poculenta l. 11. in pr. ff. de publicanis §. vestigal. l. 2. C. q. res export. n. deb.* item omnis generis arma & quicquid est materiæ ad ea conficiendum vel acuendum necessariæ *d. l. 11. d. l. 1. ubi Sicchard.*

D

LXXIII. Ulti-

LXXIII. Ultima voluntate interdicitur alienatio, si testator voluerit heredem vel legatarium, rem legatam vel hereditariam alienare. Notandum autem est, quod si simpliciter testator voluerit, ne res ista alienaretur, nudum tantum modo fit præceptum, nec efficax ad impediendam alienationem *l. 114. §. 14. ff. d. legat. 1. l. 38 §. 4. l. 93. ff. d. legat. 2.* Si verò addidit, quorum causa cavisset, veluti in familiam maneret, tunc utile est fideicommissum *d. l. 114. §. 14. & omnes qui in familiam sunt habent fideicommissi persecutionem. l. 69. §. 3. ff. de legat. 2. Don. 8. com. 28.* Si tamen is, cui aliquid hoc modo legatum est alteri ex eadem familiam id vendat, vel testamento relinquat, utilis est alienatio *l. 67. §. 3. ff. d. legat. 3.* Non verò si extero relinquat, licet unum ex familiam heredem instituat *d. l. 67. §. 3. Donell. d. loc.*

LXXIV. Deindè quoq; omnes res quovis titulo relictæ & restitutioni subjectæ per heredem alienari prohibentur *l. fin. C. com. de legat. auth. res que C. eod.* adeò, ut si heres eas alienaverit, ipsi in Trebellianicam computentur *l. 3. §. 3. ff. ad SC. Trebell.* Sed hoc in legitimam non obtinet, usq; ad eam enim alienatio valet, cum nullo onere gravari possit *l. 32. l. 35. §. 1. C. de inoff. Testam.* Quemadmodum nec in casu necessariæ alienationis, puta, quæ fit pro solutione æris alieni ipsius defuncti, tunc enim valet alienatio, etiam earum rerum, quas testator expressè prohibuit alienare, si alia bona non sufficiant. Neq; tunc alienata heredi in quartam imputantur *l. 38. in pr. ff. d. legat. 3. l. 114. §. 11 ff. d. legat. 1.* Cum de hoc casu sensisse defunctus non videatur *l. 9. ff. d. fideicommiss. hereditat. Gail. 2. observ. 37. per tot. ubi plures limitat. proponit.*

LXXV. Conventiõne prohibita est alienatio, veluti, si quis servum suum vendiderit, aut alienaverit eam lege, ne manumittatur. Nam adversus hanc conventionem servus non pervenit ad libertatem *l. pen. C. si mancip. ita fuerit alien. l. 9. ff. de manum. l. 9. in fin. ff. qui & à quib. manum.* idq; dominorum causam constitutum est, ut hujus pœnæ metu servi contineantur in officio, caventes admittere, quo irritati domini eam pœnam adversus ipsos statuunt. Eodem modo creditor pacifere potest cum debitore, ne ipsi vendere liceat, & sic vi ipsius pacti alienationem interdiceret *l. 7. §. 2. ff. d. distr. pign.* Interest enim Creditoris non alium sibi substitui durior-

rem

rem adversarium, quoniam commodius & facilius consecutus
est hypothecam, si apud debitorem sit, quam si apud alium forsitan
per possessionem & titulum præcedentem sit constituta & hoc ma-
ximum est interesse, quia si apud alium ea res est, non potest pri-
us agi hypothecaria, quam excussis his, qui tenentur personali-
bus *nov. 4. c. 2. ampliss. Dn. Arum. disp. P. P. 14. th. 12.*

LXXVI. Quid verò, si quis rem donet alteri, & tradat eam lege,
ne alienetur? Hic quidem alienationem valere existimo, sed non
eo usque, ut obstet alienationi. Nam qui hoc casu rem accepit, do-
minus rei factus est, & dominium quoque in alium accipientem
recte transfert. Nemo enim potest paciscendo efficere, ne domi-
no rem suam alienare liceat *l. pen. ff. de pact.* Sed tamen adversus
eum donatori actio est, aut condictio ob causam dati, causam non
secuta *l. 3. C. d. condict. ubi caus. dat. Don. 9. comm. 10.* Necessitas igitur
non alienandi hic cum adjuncto est, nisi velit condemnari in rei
æstimationem alienans & omnem causam. *Donell. ad l. 135. §. 3. ff.
d. V. O.*

LXXVII. A iudice denique interdicitur alienatio, veluti, si quis
opus exstruere pollicitus sit, & postea id facere recusaverit, tunc a
iudice res suas distrahere vetatur *l. 8. ff. de pollicit.* & hæc prohibi-
tio in tantum valet, ut nec usucapere possit is, qui ab eo emit,
quem prætor alienare vetuit *l. 12. ff. de usucap. & usurpat. & c.*

LXXVIII. Forma traditionis alia est interna alia externa, In-
terna iterum vel ex parte tradentis, vel ex parte accipientis. Ex
parte tradentis est voluntas dominii transferendi, ex parte verò
accipientis voluntas dominii acquirendi.

LXXIX. Externa forma ex variis tradendi modis desumi pot-
est. Non enim uno modo res traduntur. Nam proprie & verè fit tra-
ditio, cum res de manu in manum datur, vel si accipiens in posses-
sionem rei inducatur *l. 40. §. d. R. D. l. 34 ff. d. adqu. poss.* Fictè res
traduntur; vel in personam certam, vel incertam *§. 45. §. d.
tit.* In personam certam iterum vel ex parte Tradentis, vel ac-
cipientis. Ex parte Tradentis quinque potissimum modis, veluti
Constituto, Patientiâ, Fictione brevis manus, Symbolo, & de-
nique Demonstratione rei.

D 2

LXXX. Con-

LXXX. Constituto, veluti, si Dominus, qui mihi traditum voluerit, rem suam possidens constituit se meo nomine possidere. Hoc enim modo incipio possidere; cum is possideat, cujus nomine possidetur *l. 18. in pr. ff. d. acquir. poss. l. 77. ff. de Rei vindicatione.*

LXXXI. Patientia: in rebus potissimum incorporalibus. Sic enim Tradere mihi servitutem videtur, qui me ire, agere, pascere, uti, frui patitur. Nam cum res incorporales tangi nequeant, ac proinde nec proprie tradi possint; ideoq; in his patientia Domini, Traditionis loco habetur *l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem actione. l. fin. ff. d. Servit. l. 1. §. fin. ff. de S. P. R. l. 3. ff. de usufr. supr. th. 63.*

LXXXII. Fictio brevis manus, *l. 43. §. 1. ff. d. jur. dot. veluti cum res, cujus possessio vel etiam nuda detentio penes aliquem est, restituta, eidemq; rursus tradita fingitur. Ut, si quis rem suam antea alicui commodatam vel locatam vel oppignoratam, vel depositam, postea eidem aut vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit §. 44. f. de R. D. l. 9. §. 5. l. 21. §. 1. ff. d. A. R. D. l. 62. pr. ff. d. evict. l. 3. §. 20. ff. d. acquir. poss. l. 9. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 15. ff. de reb. credit. l. 10. ff. de donat. item, si debitorem meum jussero id, quod mihi debet, ex causâ alienandæ rei tibi tradere *l. 5. ff. de reb. cred. l. 1. §. 21. ff. d. acq. poss. vid. Cuj. 4. obs. 3.* An autem hoc in casu rem præsentem esse oporteat, quæstionis est? Accursius affirmat Negat Cujacius *d. loc.* cujus sententia etiam verior mihi videtur, siquidem in nullâ lege in quâ hujusmodi traditionis fit mentio ullum rei præsentis verbum invenitur, *l. 62. pr. ff. de evict. l. 9. §. 1. ff. d. publ. in rem act. d. l. 3. ff. d. adq. poss.* Et quid quæso opus est, in rem præsentem convenire, ubi emptor rem tenet? *Anton. Matth. in not. ad d. §. 44. f. d. R. D.**

LXXXII. Symbolo, veluti. 1. Clavium Traditione, si quis enim merces in horreo depositas aut vinum in cellâ reconditum vendiderit, clavesq; apud horreum vel cellam emptori tradiderit, statim ipsarum mercium aut vini dominium in emptorem transfert *§. 45. f. d. R. D. l. 9. §. item si ff. d. A. R. D. l. 74. ff. d. contrah. empt. l. 1. §. 21. ff. de acqu. poss.* Sic & utensilia de jure Saxonico ex causa donationis inter vivos in præjudicium proximæ cognatæ tum.

tum demum rectè alienantur, si mulier donatrix auctoritate
curatoris claves cistarum, in quibus res ad utensilia pertinen-
tes asservantur in iudicio donatario tradat *Constit. Elector. p. 2.*
const. 14. ibi Mull. 2. Instrumenti Traditione, veluti si quis in-
strumentum mancipiorum alicui donet & tradat, tunc enim
ipsorum mancipiorum dominium in illum transtulisse censetur,
l. 1. C. de donat. l. 44. §. 5. ff. d. leg. 1. l. 59. ff. de leg. 3. Jure feudali fictè res
traditur vexillo, hastà, baculo *2. F. 2.*

LXXXIII. Rei demonstratione, ut si quis fundum vendi-
tum oculis emptoris ex altà turri subjiciat, tum eo ipso fundum
tradidisse intelligitur. *l. 8. §. 2. ff. d. acq. poss.* Et hoc casu res lon-
gà (quod vocabulum Godofred' pro circuitu usurpatum scri-
bit, minus rectè! Res enim ipsa hoc refellit, quia compendium
hic est non circuitus. *Hillig. 5. Don. E. 9. lit. C. in not.*) manu tra-
dita dicitur. *l. 79. ff. de Solut.* Longa enim est, quæ longè pertin-
git. *Don. 5. com. 9.*

LXXXIV. Ex parte accipientis Traditio fit quadruplici-
ter; veluti, Symbolo, Per vini degustationem, Per aspectum,
Et per custodis appositionem. Symbolo: per rei scilicet con-
signationem. Nam si res vendita signatur per talem signatu-
ram Dominium transfertur, ut si existens in nemore signavit
arbores, quas emit. Wenn man die Bäume stempelt; *l. 14. in fin. ff.*
d. peric. & com. r. vend. Sichard. in rubr. C. eod. Hinc ballæ mer-
catorum præsumuntur esse eorum, quorum signis sunt notatæ
Br. in l. 14. ff. d. furt. Bl. in Auth. dos. data C. de donat. ante nupt. Quod
verum est in iis rebus, quæ non consistunt in numero, pondere,
aut mensurâ. Nam si convenias & dicas, te ex illo vase vini vel-
le tot omas vel nō dicas de omis, sed dicas te habiturum omam
pro aureo & signes illud vas, certè signatura illa non habetur
pro traditione; quia imperfecta est illa venditio, nisi mensu-
rentur dolia, & nisi facta sit ejus datio *l. 2. ff. de peric. & com.* hoc
tamen verum est si emeretur vas vini sine expressione omarum,
& deindè fieret signatura propter identitatem rationis, quia
non requiritur amplius mensuratio, putarem per illud signum
traditionem esse factam ita *Sichard. d. loc.* cujus verba adscri-
bere placuit.

LXXXV. Per vini degustationem. Hæc enim animo transferendi domini facta, pro totius dolii traditione habetur. *l. 1. & l. 4. ff. de peric. & com. r. vend. Hottom. illustr. qu. 12.*

LXXXVI. Per aspectum, ut si pecuniam vel aliam rem, quam quis alteri debet in conspectu ejus eo fine ponere jubetur. Tunc enim efficitur, ut debitor liberetur, & res Creditoris esse incipiat. *l. 79. ff. d. solut. l. 1. §. 21. ff. d. acq. poss.* Nam aspectus etiam est sensus corporeus, Ideoq; rectè dicitur & hic corpore res acquiri, cum juxta illud Xenocratis oculos an pedes in feras, nihil interest *Duar. ad l. 3. pr. ff. d. acq. poss.*

LXXXVII. Per custodis appositionem denique, veluti, si ei rei, quæ loco moveri non potest, propter magnitudinem custodem apponam, cujus custodia res subjiciatur, atque per hunc, *meæ l. 51. ff. d. acq. poss.* Quid est enim rem ad potestatem & custodiam suam revocare, nisi eos adhibere, qui dum rem tollere paro, præstant, ne ea auferatur ab aliis, mihi autem facultas sit eam tollendi? verba *Donell. 5. comm. 9.*

LXXXVIII. In personam in certam Traditio duobus modis fit. 1. Per jactum missilium, quæ amittendo dicebantur, & erant omnis generis donaria. Solebant enim consules & prætores, ut & Imperatores, tam primo die, & ultimo Magistratûs, quàm in ludis publicis pecuniam spargere populo. Interdum etiam alias res, utpote bellaria, & tesseras frumentarias. *l. 52. §. 1. ff. d. jud. l. 49. §. 1. l. 82. ff. d. legat. 2. l. 9. §. pen. ff. d. A. R. D. l. 8. ff. d. contr. empt. item lineas. Hinc Martial. lib. 8. epigr.*

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives

Cessat, & in populum multa rapina cadit.

Eorum usum in consulibus sustulit Martianus Imperator *l. 2. C. de consulib.* Sed eam legem postea abrogavit Imperator Justinianus *Nov. 105.* quâ permisit consulibus spargere pecuniam, sed argentum tantum Aurum enim solus Imperator spargebat. Tandem totum hunc usum sustulit Imperator Leo *Nov. 94.* Hodiè in inauguratione Imperatoris Romano-Germanici jactus missilium adhuc in usu est. Cujus rei vestigiû etiam superest in Academiis. Nam in proclamatione, renunciatione & inau-
gura-

guratione Doctorum quædam donata in vulgus præstantur.
Da wirffet man etliche Handschuch vnter das Volck vnd Pöbel.
Quamvis enim, qui hujusmodi donariis liberalitatem suam
explicat, ignoret, quis quantum ex iis sit accepturus; tamen
quia vult, quod quisq; exceperit, ejus esse, ideo is statim ejus
dominus efficitur. §. 46. *f. d. R. D. ibi Heig. n. 5.*

LXXXIX. 2. Per derelictum seu rem pro derelicto habi-
tam. §. 47. *f. d. R. D. l. 1. 2. §. 5. §. 1. ff. pro derelict.* Illa autem res pro
derelicto haberi dicitur, quæ à domino eâ mente abjicitur, ut
eam in numero rerum suarum diutius esse nolit, sed cuivis oc-
cupanti permittat. *d. §. 47. d. l. 1. §. 5.* statim illius itaque esse in-
cipit, qui primus eam occupat. Est enim ejusmodi rei abjectio
loco & vice traditionis, vimq; tacitæ ejusdam donationis ob-
tinet. *d. l. 1. §. 5.* Neque tantum res mobiles, sed & immobiles
pro derelicto haberi possunt, ita ut naturali ratione occupanti
concedantur. *arg. §. 12. f. d. R. D. lisdem enim modis res desinunt
esse nostræ, quibus nobis acquiruntur. l. 1. ibi gl. in verb. desinit
ff. pro derelicto l. 35. ff. d. R. 7.*

XC. Pro derelicto autem habendæ non sunt, quæ levan-
dæ navis causa in tempestate ex navi in mare projiciuntur.
Hæ enim dominorum permanent, quia non ea mente & animo
abjiciuntur, ut quis eas in rerum suarum numero esse nolit, sed
ut eo facilius una cum navi maris periculum effugere possit.
§. fin. f. d. R. D. l. 9. §. fin. ff. d. A. R. D. l. 2. §. fin. l. 8. ff. ad L. Rhod. de jact.
l. 2. §. 1. ff. d. acquir. poss. l. 43. §. 11. ff. d. furt. l. 7. ff. pro derelict. l. 3. pr. ff. d.
incend. ruin. §. naufr. Auth. navigia C. d. furt. Quare, si quis res
hujusmodi postea fluctibus pulsas, aut in mari natanter lu-
crandi animo exceperit, abstulerit, & detinuerit furti obstrin-
gitur judicisq; arbitrio punitur. *d. §. fin. inst. d. t. d. l. 9. §. fin. d. l. 43.*
§. 11. ff. d. furt. l. 5. C. d. naufrag. Hodie auth. jure res naufragorum
surripiens punitur publicatione omnium bonorum non ob-
stante aliquâ consuetudine in contrarium. *auth. navigia C.*
furt. cui adstipulatur. P. H. D. Caroli V. art. 219. De jure cano-
nico excommunicantur qui naufragium passos spoliant. *c. ex-*
commun. X. d. raptor. vid. Gail. 1. obs. 18. Equum tamen non videtur,
ut illæ

ut illæ res, quas magnâ cum difficultate quis in mari fuerit piscatus, vel quas ex fundo, ut urinatores solent, quis traxerit, priori domino restituantur. Hæ enim pro desperatis sunt habitæ, & tanquam pro derelictis. *Giph. ad d. §. 41.*

XCI. Similem in modum nec illæ res, quæ incendii metu projiciuntur. *l. 1. ff. d. incend. ruin. & naufr. l. 18. C. d. furt. & quæ de rhedâ corrente dominis non intelligentibus in viâ delapsæ vel alio modo lamissæ fuerunt. §. fin. J. d. R. D.* pro derelictis habendæ sunt, sed qui illas lucrandi animo occupat & detinet, furti se obstringit. *d. §. fin. l. 3. pr. ff. d. incend. ruin. & naufr. l. 43. §. 4. ff. d. furt.* Quod enim invenisti & non reddidisti, rapuisti inquit *Augustinus relatus in cap. 6. caus. 14. quest. 5. ubi in fine sub-jicit.* Deus cor interrogat non manum. Et *Hieronymus relatus in cap. 8. d. caus. 14. quest. 5.* Multi, inquit sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint teneant & dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant hoc peccatum esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat.

XCII. Nihil autem interest, sive sciat quis, sive nesciat, ad quem ista res pertineant *l. 43. §. 4. ff. d. furt. Coler. p. 1. decis. 149.* unusquisq; enim scire debet, quod suum non est hoc ad alios pertinere. *l. fin. C. unde vi.* A suspicione itaque & obligatione furti, ut se liberet illarum rerum inventor, vel per libellum publicè propositum, vel per præconem palàm significare tenetur (*Er muß es von der Saugel abfindigen vnd außruffen lassen. Dn. Forster. d. tr. cap. 9. num. 88.*) se eas invenisse, eiq; qui se illarum Dominum probaverit, redditurum esse *d. l. 43. §. 8. d. cap. 6. & concordat jus Saxonicum. Landrecht lib. 2. artic. 37.* Sin autem post factam proclamationem publicam dominus rei non inveniatur, res amissa & inventa inter pauperes est distribuenda, vel ad alios pios usus conferenda; aut si ipse inventor pauper sit, potest eandem cum consensu magistratus retinere. *c. 4. caus. 14. q. 5. Br. in l. 1. ff. uti possid. & in d. l. 43. §. 4. Wesenb. in parat. d. furt. n. 10.* Potest etiam inventor pro inventione oblatâ *евге-гоу* seu præmium inventionis licetè accipere, quamvis id non probè petat *d. l. 43. §. 9. ff. d. furt. Heig. ad §. fin. J. d. R. D.*

XCIII. Finis Traditionis est, ut re in alium translata & acquisita, is qui adquisivit, uti frui deque ea liberè disponere possit, cum justum sit unicuique sua committere *l. 9. C. d. Judais.* Est namque quilibet rerum suarum moderator & arbiter *l. 21. C. mandat.* ita, ut abuti iis *l. 25. §. 1. ff. d. pet. hered.* & prodigere eas possit, ac in mare projicere. *l. 55. ff. d. condit. & demonstrat.* unde actio injuriarum datur contra eum, qui dominum in usu rei suæ turbat. *l. 13. §. fin. l. 24. ff. d. injur. l. 25. ff. d. act. empt.* Quæ omnia vera sunt, nisi lex vel salus populi liberæ ejusmodi administrationi resistent. *ut s. dict. Dn. Forster. in tr. d. pact. c. 6.*

XCIV. Effectus traditionis est dominii translatio & usucapiendi conditio. Si etenim traditio fiat à rei Domino, vel ab eo qui ejus transferendi potestatem habet, dominium jure gentium statim in accipientem transfertur, quod semel alicui adquisitum sine causæ cognitione, eidem invito auferri non debet. *l. 11. ff. d. R. 7.* ac ne quidem à Principe ex plenitudine, *ut loquantur Dd. potestatis, seu ex absolutâ potestate & ex certâ scientiâ cum clausulâ derogatoriâ. l. 2. C. d. prec. Imper. off. l. 4. C. d. emanc. liber. l. 35. pr. C. d. inoff. test. c. quamvis Dd. rescript. in 6. Vasq. 1. Illustr. quest. 5. n. 13.*

XCIV. Non enim inde injuriarum nasci occasio unde jus debet *l. 6. C. und. vi c. 8. X. d. major. & Obed. l. 17. X. d. accus.* nec auctoritate Principis quenquam decipi convenit. *l. 1. C. d. his qui ven. etat.* Sicut nec per leges quæ perjuriam puniunt, via perjuriam aperiri. *l. 2. C. d. indict. viduit. toll. aut per judicium injuriis aditus patere debet. c. 28. X. d. rescript.*

XCVI. In casu tamen publicæ necessitatis & utilitatis, Princeps jus quæsitum alteri auferre potest. *arg. l. 37. ibi Br. ff. d. reb. auth. jud. possid. Gail. 2. obs. 56. Myns. 4. obs. 8. & 5. obs. 97. Bodin. 1. d. Rep. 8.* Sed & hic princeps causam exprimere & justum pretium Domino reddere, & causâ cessante privatis suum restituere tenetur. *l. 13. §. 1. ff. comm. prad. l. 2. C. pro quibus caus. serv. prem. loc. §. fin. Inst. de his qui sui vel al. jur.*

XCVII. Præterea & is qui à Domino rem per traditionem accepit, & postea possessionem ejus amisit, vindicationem

E habet

habet ad rem recuperandam. l. 23 ff. d. rei vindicat. l. 25 ff. d. O. & A. §. 1. & 15. Inst. d. action.

XCVIII. Quod si vero à non Domino res traditur dominium ejusdem non statim in accipientem transfertur sed saltem usucapiendi conditio & quidem jure civili. l. 20. C. d. pact. l. 74 ff. d. contrab. empt. l. 5 ibi gl. ff. d. damn. infect. vid. sup. th. 15. & 16. licet malæ fide possessor tradat. Etsi enim hic usucapere nequeat. §. 2. §. 7. Inst. d. usucap. c. possessor. d. R. J. in 6. usucapiendi tamen conditionem alteri tribuit, dum rem alienam tradit. d. §. 75. l. 74. l. 38. ff. d. usucap. & usurp. Hæc enim non ex personâ tradentis transfertur, sed in titulo & bonâ fide accipientis fundatur, & in ejus persona inchoatur dd. ll. nec mala fides tradentis, bonæ fidei accipientis nocere debet. l. 7. §. 11. ff. d. publ. in rem act. l. 4. §. 27. & §. 31. ff. d. dol. mal.

XCIX. Et hæc quidem rectè procedunt, dum modo res quæ bonâ fide accipienti traditur sit ad usucapiendum idonea, nec ullo alio reali vitio affecta. §. 1. & seqq. Inst. d. usuc. l. 24. ff. eod.

C. Hic fisto gradum: Non autem erubescam (*verb. Imper. Justin. in Nov. 22. in fin. pr.*) si quid melius his adinveniam competentem eis imponere correctionem, nec ab aliis expectare corrigi dicta. Omnium enim habere memoriam & in nullo penitus peccare divinitatis magis quam mortalitatis est; quod & à majoribus dictum est: ut loquitur idem *Imper. Justin. in l. 2. §. 14. C. d. vet. jur. enucl.*

DEO Trino & Uni sit Laus & Gloria
sempiterna.



Præstan-




Ad
*Præstantissimum juxta ac litera-
tissimum,*

DN. RESPONDENTEM, Amicum
& fratrem suum suavissimum.

SI miles dignâ laudes mercede reportat,
MARTIS PIERIDUM plus meruisse patet;
Ille urbes spoliat devastans undiq; MUSAS,
Injustum justo dignius esse putat:
Hic non; sed Themidis vestes reparare laborat,
Delectans urbes, justitiamq; serit,
Fortiter opponit pectus, nec fortia tela
Abhorret, Sophiæ lata trophæa videns.
Hicce igitur vita gratissima vota meretur
Masculus hunc manibus, Fœmina & ORE colat.
Quos inter minimè es postremus, doctè NEANDER,
Dum dute REUTERO bella duella subis.
Es jam NEIANDER dicendus, deinde MEGANDER
Docto EQUITIS clarus gutture factus eques.

F.

HENRICUS BRÖMELIUS,
Arnstad. Thuringus.



Ad Eundem.

Siccinè me crassum, JUVENUM FLOS; doctè NEANDER
VIRTUTIS PATRIÆ specimenq; decusq; PARENTIS,
Siccinè me crassum poscis? mea carmina poscis?
Non equidem immeritò tibi sum parère paratus,
Ingeniiq;

Ingeniūq; tui magē, Judiciūq; sagacis
Spe fretus firmā; quā planē territus istā
Crassitie, de quā mihi sum benē conscius ipse.
Nam quæcunq;, meis, possum, sunt infima votis,
Atq; tuis nullā meritis par parte futurum est,
Carminē quod poterunt doctæ celebrare Camœnæ;
Propterea tanto partem de munere tanti
Ingenii si consequimur satis esse videtur,
Attonito & tacito, quod restat honore colentes.
Sic, age, Salveto; (Themis alma faveto!) NEANDER
Salveto, cujus genium doctrina colendum,
Et Virtus sibimet penitus sumfisse videntur;
Te totum cupidus discendi cœperat ardor,
Sacrarum dudum legum numerosa trahebat
Cognitio mentem, nec noxius indē retraxit
Languor; quin potius, curā hāc urgente, frequenter
Languida languidulo nox defraudata sopore
Continuoq; dies ita continuata labore;
Usq; adeo ventum est quō jam plenissima legum
Cognitio tibi sit. Legum sacraria Tradis;
Verū, quæ tradis de TRADITIONE vidēre
TRADERE, quō TRADAT tibi diva Themista brabeia.

ita voceo


ZACHARIAS Krause
Reichenb. Siles.



V517


ULB Halle
002 673 282


3



TA → OL







B.I.G.

Farbkarte #13

IO JURIDICA,
De
TIONE,

uam,
LICITER MODERANTE,
rum Ordinis in celeberrima
V Vittembergensi,

ÆSIDE
O ET CONSULTISSIMO
FREDO Reutter

Publico & Curiā Provin-
ceptore & Promotore meo
antia studio atatem
colendo,

Publico submitto
S NEANDER
arto-Marchicus,
Ctorum Kal. Martii.

TEBERGÆ
LOMONIS AUERBACH
M DC XXVIII.

18
1628
24

18

